



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De cultoribus arborum. ii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

titudo hac falsa opinione decepta, hæc vera esse credit, & credendo à recta fide deuiat, & in errore pagano ueritatem reuoluitur, quum aliquid diuinitatis, aut numinis extra unum deum esse arbitratur. Quapropter sacerdotes per Ecclesiam sibi commissas populo omni instantia prædicare debent, ut nouerint hæc omnimodis falsa esse, & non à diuino, sed à maligno spiritu talia phantasmata mentibus infidelium irrogari. Siquidem ipse Satanas, qui transfiguratur se in angelum lucis, quum mentem cuiuscunque mulierculæ cepit, & hanc sibi per infidelitatem, & incredulitatem subiugauerit, ilicò transformatur se in diuersarum personarum species atque similitudines, & mentem quam captiuam tenet in somnis deludens, modò lata, modò triftis, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per deuia quæq; deducit. Et cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc nõ in animo, sed in corpore euenire operatur. Quis enim non in somnis & nocturnis visionibus extra seipsum educitur, & multa uidet dormiendo, quæ nonquam uiderat uigilando? Quis uerò tam stultus & hebes sit, qui hæc omnia quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? Cum Ezechiel propheta uisiones domini in spiritu non in corpore uidit. & Ioannes apostolus Apocalypsis sacramenta in spiritu nõ in corpore uidit, & audiuit sicut ipse dicit: statim, inquit, fui in spiritu. Et Paulus non audet se dicere raptum in corpore. Omnibus itaq; publicè annunciandum est, quòd qui talia in his similia credit, fidem perdit, & qui fidem rectam in Deo non habet, hic non est eius, sed illius in què credit, id est diaboli. Nam de domino nostro scriptum est, Omnia per ipsum facta sunt. Quisquis ergo aliquid credit posse fieri aut aliquam creaturam in melius, aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciè, vel similitudinem nisi ab ipso creatore qui omnia fecit, & per què omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, & pagano deterior.

De cultoribus arborum. Cap. II.

*Ex regis Gregor.* **P**eruenit ad nos quosdam, quod dici nefas est, arborum colere, & multa alia cõtra Christianam fidem illicita perpetrare: & miramur cur hoc fraternitas uestra distulisset emendare, ultione, distulerit. Propterea scriptis præsentibus

bus adhortamur hos diligenti inuestigatione perquiri, & veritate cognita, talem in eis faciatis exercere vindictam, quatenus & Deus placari possit, & aliis eorum vltio correctionis exemplum sit.

*De cultoribus idolorum. Cap. III.*

*Ex eodē, cap. 15.*

**C**ontra idolorum nanque cultores, vel aruspicum, atque sortilegorum fraternitatem tuam vehementius pastoralis hortamur inuigilare custodia, atque publicè in populo contra huius rei viros sermonem facere, eosque à tali labe sacrilegii, & diuini intetioone iudicii, & presentis vitæ periculo adhortatione suaforia reuocare. Quos tamen si emendare se à talibus, atque corrigere nolle repereris, feruenti comprehendere zelo te volumus; & quidem, si serui sunt, verberibus, cruciatibusque, quibus ad emendationem peruenire valeant, castigare. Si verò sunt liberi inclusione digni, districtaque sunt in pœnitentia dirigendi, vt qui salubria, & à mortis periculo reuocantia audire verba cootemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem.

*De eadem re. Cap. IIII.*

*Ex eodē, cap. 18.*

**P**eruenit ad nos, quòd quosdam incantatores atque sortilegos fueris insequutus, & omnino nobis sollicitudinem, zelumque tuum gratum fuisse cognoscas. Sed molestè tulimus quòd te dubitare, ne ab eis nobis contra experientiam tuam surripi potuisset, didicimus, dum quādo certus esse ac scire debueris, hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere, non ad culpam adscribi. Et ideo studii tui sit sollicitè quærere, & quoscumque inueneris huiusmodi Christi inimicos, ita districta vltione corrige, vt & nos de experientia tua melius possimus habere iudicium, & Deo te nostro, quod maximè studendum est, valeas commendare.

*De illis qui diuinationes requirunt.*

*Caput V.*

*Ex cõcil. Ancira- no, ca. 23.*

**Q**VI diuinationes expetunt, & more gētilium subsequuntur, aut in domos suas huiuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid, arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii iaceant, secundum gradus pœnitentiæ definitos.